

vix magnō labore ab altera separatur: Illa vero nullius artificis acerrimo ingenio tollitur. Ea propter magnus ignis calor comburibiles humiditates à metallis separat, quum argentum viuum illud conferuet, & à combustionē defendat, quod naturæ suæ est, peregrinum vero extrudat, & comburi sinat. Internum autem sulphur, quod argentum viuum coquit, & ad perfectionem maturat, simul purum & impurum, combustibile, & incombustibile est. Combustibile, argentum viuum in perfectione sua impedit, ne in aurum commutari possit, donec illud omnino ab eo separatum siet, & purum, constans, in combustibile que sulphur solum illic remaneat, & tunc aurum, vel argentum ex eo fit, quatenus sulphur illud album, aut rubrum est. Est autem internum illud sulphur aliud nihil, quam matus Mercurius, vel maturissima argenti viui pars: quo circa etiam illud argentum viuum tam libenter recipit, alienum peregrinumque sulphur autem relinquit: quem in finem Richardus cap. 9. ait: Quo vilius & purius sulphur est, eo majorem, ob vilius puriusque argentum viuum, percipit lætitiam, ipsique adeo adhæret, ut unum cum altero cōfirmius copuletur, & ita perfectiora metalla exinde generentur.

Illud tamen sulphur supra terram minime reperitur, veluti Auicenna testatur, quam quod dumtaxat duobus in corporibus, auro, & argento nimirum, inuenitur, & quidem in auro multo maturius. Nam, Richardo cap. 12. teste, rubrum in auro sulphur, per majorem maturationem, album autem in argento, per minorem maturationem, est. Hæc omnia cum ita se habeant, quod videlicet una vnicā Materia metallorum siet, quæ, virtute

C. 3 inna-